# IN ADVENTV

*ILL.MI & R.MI*

MARCI CORNELII,

Epiſcopi Patauini,

Pro Magnifica Philoſophiæ, ac Medicinæ in Pata
uino Gymnaſio Vniuerſitate,

*ANTONII RICCOBONI*

*GRATVLATIO.*



Patauii, Apud Laurentium Paſquatum. 1595

Superiorum Permiſſu.

169

# Illuſtriſſimis Gymnaſij Pataui ni Moderatoribus,

M. Antonio Barbaro, Di. Marci Procuratori,
Et Marino Grimano,
Ac Leonardo Donato,
Equitibus, & Di. Marci Procuratoribus, Philoſophię, ac Medicinę Vniuerſitas S.D.

*ORationem Antonij Ricco boni, in hoc Gymnaſio earum artium, quæ ad Humanitatem pertinẽt, Explicatoris, ad gratulandum Marco Cornelio, Patricio veſtro, quòd Patauij Epiſcopatum ſit conſecutus, ex noſtro habitam decreto, amplitudini veſtræ dicamus, et conſecramus, vt*

*ipſa in eorum nomine appareat, quibus ſummis litterarum patronis omnium plane litteratorum fetus deberi videntur; quorumq; nobis in omni actione auctoritatem, tamquàm grauisſimum numen aliquod, prope intentis oculis intuendam exiſtimamus; et à quibus, tamquàm benignisſimis Tutelaribus noſtris, pendemus vniuerſi. Quod ſingularis noſtræ in amplitudinem veſtram obſeruantiæ, ac reuerentiæ argumentum vt in bonam partem accipiatis, noſq; omnes veſtra humanitate, ac manſuetudine complectamini, vos etiam, atq. etiam rogamus. Valete, clarisſima Mundi lumina, & optimarum artium ſtudia benignisſime, vt facitis, fouete.*

*Patauij, Menſe Martio. M.D.XCV.*

*Maxima*

MAxima profecto lætitia eſt, MARCE CORNELI, Præſul ampliſſime, totius diœceſis Patauinæ: admirabilis alacritas ciuium Patauinorum, Patauijq́; vniuerſi: prope incredibile gaudium clariſſimorum huius ciuitatis Collegiorum; ſacroſanctæ Theologiæ, iuris Cæſarei, & Pontificij, Philoſophiæ, ac Medicinæ: egregia iucunditas omnium Canonicorum, omnium Clericorum, omnium Religioſorum, qui hoc benigno cælo perfruuntur: ſumma hilaritas, & exultatio tot Doctorum optimas artes profitentium, tot iuuenũ in optimas artes incumbentium, & cuncti Gymnaſij Patauini; ex quibus omnibus partibus tibi exiſtũt tam celebres, tamq. præſtantes gratulationes. Vt mirum non ſit, ſi vna cũ ceteris immenſa voluptate triumphat magnifica Philoſophiæ, ac Medicinæ Vniuerſitas, quòd Clementis VIII. Pontificis Opt. & Max. ſapientiſſimo iudicio, ac ſacroſancti Cardinaliũ Collegij mirifico ſtudio, totiuſq; Chriſtiani orbis ſane honorifica comprobatione tu ſuffectus in locum demortui Epiſcopi, gentilis tui, tandem aliquando ad nos aduenisti; & quidẽ aduenisti non tamquàm hoſpes aliquis, & peregrinus, ſed quem Patauina Ciuitas habuit, vt Patricium Venetum, patronum ſuum: vt vnum de ſtudioſis liberalium diſciplinarum, ab ineunte ætate alumnum, & Gymnaſij ſui cultorem aſſiduum: vt iuris Cæſarei, & Pontificii Doctorem, non minus Iuriſconſultorum ſuorum Collegium exornantem, quàm ab ipſo Collegio exornatum. Quo quidem aduentu cum lætari, & geſtire non ſolum oẽs omnium generum, ætatum, ordinum homines; verum ẽt ipſa tecta vrbis, ipſi parietes, ipſa templa propemodum

modum videantur: mihi quoq; eſt publico decreto mandatū, vt pro magnifica Philoſophiæ, ac Medicinæ Vniuerſitate, & pro cunctis Doctoribus in celeberrimo Gymnaſio ingenuas artes profitentibus, hanc gratulationem haberem. Venit enim tota ipſa magnifica Vniuerſitas tibi omni cum reuerentia gratulatum, Antonius Sauoldus Brixianus Sindicus, in locum deficientis Rectoris mire omnibus ſatisfaciens cum Aſſeſſoribus Conſiliarijs, Matthia Iacobeo Ripenſi Dano, Achilleq; Machiauello Vicetino, ad veram gloriam à ſola virtute proficiſcentem vere natis, ſimulque alii præſtantiſſimi Conſiliarii. Venerunt admodum reuerendi, ac præcellentiſſimi Patres, ſacroſanctæ Theologiæ, ſacræ ſcripturæ, ac eorum, quæ Metaphyſica dicuntur explicatores: Medici clariſſimi, tum Theorici, tum Practici, tum Ordinarij, tum Extraordinarij: celeberrimi Philoſophi, ſimiliter tam Ordinarij, quàm Extraordinarij: Interpretes doctiſſimi Moralis ſcientiæ, Simplicium medicamentorum, Mathematicarum diſciplinarum, Logicæ facultatis. Venerunt nobiliſſimæ omnes Gymnaſii Nationes, atque inter ceteras clariſſima Natio Germana, quæ in te honorando videtur quodammodo appetere principatum. Cumq; neceſſe non haberent adſtantes omnes dicere, à me in primis dici voluerunt, quòd, cum tu eſſes iuris vtriuſque Doctor præcellentiſſimus, & ego quoque eſſem legum Doctor, vt maior ſeruaretur conuenientia tum dicentis, tum eius, ad quem oratio haberetur, præcipue id à me fieri debere viri ſapientiſſimi, & iuuenes ſtudioſiſſimi iudicarunt. Cui neceſſe fuit quodammodo, & quòd ipſi voluerunt, & quòd mea quædam ſingularis erga amplitudinem tuam obſeruantia ad hoc onus ſubeundum, & ſuſtinendum me maxime impellebat: non vt te laudarem, qui omnem ſuperas laudis excellentiam, & ex Philoſophi ſententia, tamquàm diuinus, es potius beatus deprædicandus, quàm laudibus efferendus: ſed vt amplitudini tuæ animorum noſtrorum deuotionem declararem, & Summi Pontificis ſapientiā celebrarem, qui tam prompte, tam celeriter, tam ſtudioſe

hunc

hunc tibi Epiſcopatum cenſuit deferendum. Etenim uidit illa ſapientiſſimus Pater, de quibus nemini eſt dubitandum, primum dignitates Eccleſiaſticas in patricijs Venetis bene collocari, quorum Reſp. ſemper ſtuduit de Chriſtiana Repub. bene mereri: deinde inter ceteros patricios Venetos Corneliæ familiæ optime dari, cuius exſtant præclara, & inſignia in Chriſtianam Rempub. promerita: denique inter alios Cornelios longe optime illis concedi, qui tui ſimiles ſunt; in quibus nimirum ea ſplendent omnia, quæ in viro Eccleſiaſtico populos gubernante ineſſe oportet. Hæc enim etſi tam nota ſunt, quàm quæ notiſſima: tamen, quia ad cauſſam ſummæ lætitiæ noſtræ aperiendam videntur maxime pertinere, quòd nobis Epiſcopus datus ſit Patricius Venetus: quòd ex familia Cornelia: quòd Marcus Cornelius; non deſinam de his aliquantiſper agere; & potius gratulari nobis, potius Patauio, potius diœceſi Patauinæ, quòd talem, tantumq; Epiſcopum adepti ſimus, quàm tibi, qui ad Epiſcopatum euectus ſimul aſſumptus es ad immenſos animi, & corporis labores, & vigilias, ad maximas curas, & ſollicitudines, ad difficilem, & periculoſam ampliſſimæ Eccleſiæ adminiſtrationem, ad ſaxum ingens, inſtar Siſyphi quamuis felicius conuoluendum; immo vero etiam gratulari tibi, quòd, cum huius vitæ beatitudo in actione poſita ſit, eò beatior futurus ſis, quò te magis actuoſum eſſe oportuerit, maiorq. occaſio tibi oblata fuerit præſtantiæ tuæ ſingularis exercendæ. Demonſtrabo igitur quàmbreuiſſime, & quàmplaniſſime, Venetam Nobilitatem maxime dignam eſſe, in quam dignitates Eccleſiaſticæ conferantur. Oſtendam præcipue Corneliis Venetis tales dignitates deberi. Declarabo illos in primis Cornelios ad huiuſmodi dignitates eſſe efferendos, in quibus ea inſunt, quæ in Marco Cornelio videntur mirabiliter enitere. Ac primum quidem gratulamur tibi, Marce Corneli, Præſul Illuſtriſſime, quòd ortus ſis vnus de Patriciis illius Sereniſſimæ Reipub. quæ ſumpta proprietate, non armorum funeſtorum, & diſcordiæ ciuilis, vt Roma ex conditoris ſui manibus fraterna cæde pol-

luis

loris: non doli mali, & inſignis perfidiæ, vt Carthago ex ſo lo fraude punica empto, & fallaciter comparato : non aliarum rerum minus laudabilium, vt aliæ veteres Reſpublicæ : ſed Chriſtianæ pietatis ex pia origine naſcentis vrbis, & erecti in Riuo alto templi Di. Iacobo dicati, Chriſtianam Rem publ. maximi ſemper fecit, eiuſq; cauſſa nullis vnquam ſumptibus pepercit, nullam difficultatem pertimuit, nulla pericula detrectauit, nullas hoſtium inſidias, nullum prœlii diſcrimen, nullam capitis, honoris, fortunarumq; omnium dimicationem refugiendam putauit : ſed eius defenſioni alia omnia poſthabuit, & pro ea, cum ita res tulit, maximas claſſes armauit, grauiſſima bella ſuſcepit, ingentes theſauros exinaniuit. Teſtis eſt prima illa expeditio ab Vrbano II. Pontifice Max. aduerſus Sarracenos, & Turcas ſuſcepta, vt ex impiorum manibus eriperetur, & recuperaretur terra illa, vbi Chriſtus naſcens vagiuit, vbi grandior factus diuinitus concionatus eſt, vbi admirandis operibus ſuis certiſſima diuinitatis ſuæ ſigna dedit, ubi ſublatus eſt in crucem, & ſuo ipſius ſanguine peccata noſtra expiauit; in quo ſacro bello Veneti auſpicijs Vitalis Michaelis Ducis ducentas omnis generis naues armarunt : claſſem in Syriam perduxerũt: Gallos Duces Hieroſolymam obſidentes commeatu maximo adiuuerunt : poſt captam Hieroſolymam, & ſalutatum Regem Gothifredum, Aſcalonem vrbem maritimam expugnarunt: Caipham oppidum Ptolemaidi propinquum obſederunt, & ad deditionem compulerunt: Tyberiadem adorti, deditione ab oppidanis facta, receperunt. Teſtis eſt altera expeditio, in qua Baldoinus, qui in demortui Gothifredi fratris locum Rex ſalutatus fuerat, auctus claſſe centum nauiũ ſub ductu Ordelaphi Faletri à Venetis in Syriã miſſa ad Chriſti fidem tutandam, & conſeruandam, Ptolemaidem cepit: Sidonem recepit: Berytum expugnauit: Feroniam, oppidum maritimum circa Nili oſtia occupauit; pro quibus rebus auxilio Venetorum præclare geſtis eum dediſſe ipſis Venetis ſacram in vrbe Ptolemaide ædem, vicum, forum, aream, vbi merum, miſtumq. imperium cum Gallis haberet, ac tribuiſſe

alia

alia plurima in toto Regno Hieroſolymitano priuilegia ue tera monumēta declarant. Teſtis eſt tertia expeditio, in qua poſt extinctum Baldoinū I. & captū à Dalochio Parthorū Rege Baldoinum II. Veneti ſuaſu Calliſti Pontificis Max. claſſem ducentarum nauium confecerunt, Dominico Michaeli Duci commiſſam: hoſtium claſſem, quæ ad Iopem erat, ſeptingentarum nauium fortisſime ſuperarunt, Iopenſibusq; mare aperuerunt: capto conſilio cum Varinundo, Antiſtite Hieroſolymæ, de Tiro oppugnanda, poſt quinque menſium obſidionem eam receperunt, atq; ex fœdere icto cum ipſo Varinundo tertiam eius partem obtinuerunt, quòd eorum potisſimum opera in ea obſidione enituiſſet; id quod Baldoinus per id tempus poſtliminio reuerſus faci le comprobauit. Teſtis eſt quarta expeditio, in qua poſt Hieroſolymam temporibus Baldoini V. à Saladino Aegyptiorum Rege cum reliquis Syriæ urbibus occupatam, dū accingerent ſe Chriſtiani Principes ad Tellurem Sanctam recuperandam, Veneti hortatu Clementis Pontificis Max. ingentem claſſem eduxerunt: cum Piſanis in Adriatico iun cti magno nauium numero in Syriam traiecerunt: diu, mul tumq; ad Ptolemaidem laborarunt, & aliquot prœlia pericu loſisſima cum Saladino commiſerunt: tandem facta deditione urbem receperunt, eaq; potisſimum de cauſſa in deditos ſæuierunt, quòd dimidium ſanctisſimæ Crucis Ieſu Chriſti in cōditionibus promiſſum nefarie diſperdidiſſent, ac diſſipaſſent. Teſtis eſt deniq; quincta expeditio, in qua, cum Rex Babylonius Tripolim, vrbem clariſſimam, euertiſſet, ac proſpero fortunæ curſu Tyrum, Sydonem, Berytum cepiſſet, captas diripuiſſet, direptas incendio abſumpſiſſet; Nicolao, ſummo Pontifice, clariſſimos Europæ Duces ad opem Chriſtianis rebus valde laborantibus ferendam per legatos, & litteras concitante; Veneti primum viginti longas naues ipſi Pontifici obtulerunt ad quingentos cataphractos equites, quos ipſe ſuo nomine dabat, in Aſiam traijciendos: deinde viginti illis triremibus alias ſuo ipſorum nomine adiunxerunt; ac, niſi reliqui Chriſtiani

B Principes

Principes ceſſaſſent, non modo Ptolemaidem, pro qua diu decertarunt, incolumem conſeruaſſent, verum etiam Chriſtianum nomen in Syria retinuiſſent, ceſſantibus in Europa auxiliis inde quàm miſerrime ſublatum, & quàm turpiſſime eiectum. Quid commemorem honores à Venetis habitos Alexandro III. Pontifici Max.? tunc ſcilicet, cum facto impio edicto à Friderico I. Imperatore, vt ei tota Italia interdictum eſſet, profugus, & incognitus Venetias venit, &, tamquàm ſacerdos quidam gregarius, nondum ſatis cognita, & perſpecta Venetorum fide, in Conuentu Charitatis tantiſper latuit, donec indicatus à quodam, cui nomen Commodi erat, à Senatu agnitus, & perhonorifice exceptus eſt, conceſſa poſtea ſolenni indulgentia templo ipſius Charitatis; qui vt conciliaretur Friderico, poſteaquàm Veneti per legatos ſuos egerunt, nihilq. profecerunt, ſuperbientis Imperatoris Othonem filium cum claſſe miſſum frenarunt, deuicerunt, ceperunt, vt coactus ſit Imperator pacem cum Pontifice facere, eum ſupplex colere, & venerari, ei fidem, & obedientiam polliceri; à qua inſigni victoria (dicant, quidquid velint, illi, qui magno ſuo cum errore aliter ſcribunt) Sebaſtianus Cianus Princeps in die rediit Aſcenſionis, tunc cum ab ipſo Pontifice ipſi Principi facultas data eſt deſpondendi maris, & templo Di. Marci ſolennis indulgentia conceſſa propter talis, tantæq; victoriæ lætitiam ſingularem; à quo ſimul fonte deriuata eſſe dicuntur pleraq; inſignia Ducis Venetiarum, plumbum in litteris Ducariis, enſis auratus, aliaq; equeſtria ornamenta, cereus candidus, vmbella, octo tubæ argenteæ, vexillum; quæ quidem Sebaſtiano Ciano primum conceſſa ceteri deinde Duces honeſtiſſime vſurparnnt. Quàm vero promptos, & paratos ſeſe oſtenderunt Veneti, cum in Principatu Marini Mauroceni Legatus Alexandri IIII. Pontificis Max. Venetias venit; ibiq. diuinis armis vſus cæleſtis vitæ præmia omnibus propoſuit, qui aduerſus Acciolinum, teterrimum patriæ ueſtræ Tyrannum, nobiliſſimi Patauini, Romanæ Eccleſiæ hoſtem iudicatum arma ſumpſiſſent? Non ne ingentes

copias

copias Philippo, Duci Mediolani, aduerſus ipſum Accioli-
num dederunt, & arma, naues, commeatus, aliaq. ad bel-
lum gerendum, locorumq. oppugnationes faciendas neceſ
ſaria in caſtra comportanda curarunt? Non ne cum ipſo Phi
lippo, Saccenſibus in fidem acceptis, Anſedinum, filium
ſororis Tyranni, dum is Mantuam obſideret, cum multis,
validiſq. cohortibus occurrentem, in fugam conuerterunt,
Patauiumq. ceperunt? Ob quam operam ſane egregiam, &
præclaram ſummo Pontifici nauatam, memoriæ proditum
eſt, conceſſum eſſe Venetis, vt ædis aureæ Primicerius ho
ra cerimoniarum mitra, & baculo vteretur. Vt autem alia
omnia, quæ breui oratione comprehendi non poſſunt, ſi-
lentio prætercam, illud certe prætereundum non eſt, quan
topere Veneti fuerint ſoliciti de Byzantii oppugnatione,
cum perlatum eſt, Maomethum, Turcarum Tyrannum, vr-
bem Imperatoriam bello infeſtare cepiſſe, dum eam Con-
ſtantinus XV. Paleologus, Græciæ Imperator, teneret. Pri
mum enim, Nicolao V. Pontifice Max. ita ſuadente, mul-
tas triremes ad eius vrbis præſidium miſerunt; cum iam eſ-
ſent in eo præſidio aliæ Venetorum triremes, quæ ex Pon
tica negotiatione ſub id tempus redeuntes in portu ſub-
ſederant. Deinde adorto ipſam vrbem Othomano cum tre
centis armatorum millibus, & nauibus trecentis, ac ſeptua-
ginta quinque, Veneti ſanguinis bellatores in ea defenden
da, quantum potuerunt, elaborauerunt; etiamſi Othoma-
næ potentiæ reſiſti minime potuerit, cæſis inter alios quàm
plurimos vna cum ipſo Paleologo Patricii ordinis viris cir-
citer quinquaginta. Deniq; conflata valida claſſe, quamuis
extinctus eſſet Nicolaus Pontifex poſt factum edictum,
vt, quicunq; Chriſtianus in Turcas ſtipendium feciſſet, ple
nam delictorum ſuorum veniam conſequeretur, quicunq.
talem militiam detrectaſſet, inferorum pœnis deuoueretur;
quamuis diem ſuum obiiſſet is, qui in locum Nicolai ſucceſ
ſit, Calliſtus III. quamuis ex hac vita diſceſſiſſet Calliſti
ſucceſſor Pius II. qui cum ipſis Venetis, & Pannoniæ Re-
ge, ac Philippo, Burgundiæ Duce, maius quidem in Tur-

B 2 cas

cas bellum moliebatur, ſed morte præreptus efficere nihil potuit: tamen tanti belli onus ſoli Veneti ſolis viribus ſuis diu, multumq. ſuſtinuerunt. Verum, quò plura dico Venetorum in Remp. Chriſtianam promerita, eò plura mihi ſe ſe offerunt dicenda:ſentioq. hoc eſſe non vnius horæ, non vnius orationis, ſed multorum dierum, multorumq. voluminum negotium: & ſatis eſſe puto, vt modum in dicendo retineam, non omnia, quod prope infinitum eſt, ſed aliqua tantum eorum præcipua recenſuiſſe, quæ Veneti pro Chriſti fide, pro ſancta religione, pro Chriſtiani nominis propagatione pie, fortiterq. geſſerunt; quibus luce clarius patet, Venetorum patriciorum proprium eſſe Romanæ Eccleſiæ commodum, dignitatemq. & Romanorum Pontificum voluntates, atq. mandata ſuæ ipſorum vitæ anteponere, ac pro iis exſequendis, quoties opus eſt, non fortunas modo ſuas, verum etiam capita ipſa in quodlibet periculum offerre; Venetamq. Remp. veluti alteram columnam eſſe, qua nomen nititur Chriſtianum; vt iuſtiſſime fieri per ſummos Pontifices videatur, cum dignitates Eccleſiaſticæ nationi tam benemeritæ tribuuntur. Inter ceteros autem patricios Venetos quàm digniſſima eſt Cornelia familia, quæ dignitatibus Eccleſiaſticis perornetur, cum tot magna Sacerdotia, tot Abbatias, tot Epiſcopatus, tot etiam Cardinalatus quàm digniſſime, & ſanguini ſuo Regio congruentiſſime adminiſtrauerit. Quamobrem gratulamur ſecundo tibi, Marce Corneli, Epiſcope nobiliſſime, quod domi habeas exempla præclariſſima ad imitandum, & facem prælucentem illuſtrisſimorum maiorum, qui eandem, quam tu geris, & bene fauente Deo geſturus es, in tractandis Reip. Chriſtianæ gubernaculis perſonam ſuſtinuerunt; quorum præclaris veſtigiis inſiſtens impresſis ad gloriam ſempiternam, & tuis ipſius rebus iam præclare geſtis reſpondens non potes hunc Epiſcopatum communi omnium ſententia non felicisſime gubernare. Mitto hanc nobilisſimam familiam originem traxiſſe à Romanis illis Corneliis generoſisſimis, quorum cum eximiam in pace iuſtitiam, ac moderationem,

tum

tum incredibilem in bello fortitudinem,atque animi magnitudinem,celeberrimaq; parta cognomenta Africanorum, & Aſiaticorum,omnes merito admirantur,& colunt. Taceo in hac illuſtris ſima familia Marcum floruiſſe,eum,cuius ſingularem præſtantiam tu & nomine,& virtutibus repræſentas;qui non ſolum fuit Proprinceps, quo tempore Marinus Faletrus eſt Principatu deiectus,& Reſp.erat in maxima conſternatione metu coniuratorum: verum etiam factus eſt princeps,qui in locum Laurentii Celſi ſuccederet, auctorq; fuit ſapientia ſua ſingulari,vt deficientes Cretenſes compeſcerentur.Vix attingo illud ore omnium contritum,&peruulgatum,dignumq; memoria ſempiterna,dignã viſam eſſe Corneliam familiam,ex qua Catharina Marci filia feligeretur,quæ à ſereniſſimo ſenatu honeſtatis, amplitudinisq. gratia adoptata Iacobo Luſiniano,Regi Cypri, in matrimonium traderetur: & ex hac familia eam fœminam extitiſſe,quæ aliis omnibus fœminis præſtantisſimis,immo uero etiam uiris longe ſuperior eam pietatem in patriam oſtenderit,cuius exemplum non facile Carthago, non facile Lacedæmon,nõ facile Athenæ,Roma, Rhodus,aliæq; veteres Reſp. afferre poſſent:ſiquidem ex illis non deerũt exempla virorum virtute præſtantium, qui vel Reges bello ceperunt,& vinculis conſtrinxerunt, vel prouincias expugnarunt,vel vrbes debellarunt:ſed non facile eiuſmodi exẽplum reperietur,quale prœbuit Catharina Cornelia; quæ mortuo Iacobo Rege, marito ſuo, facta heres cum filio poſthumo,qui poſtea extinctus eſt,& quidem heres ampliſſimi, opulentiſſimiq. Regni, maluit patriæ opes amplificare, quàm Regno domeſtico perfrui, patriamq. ipſo Regno habuit chariorem,vna cum Andrea patruo, qui teſtamento Regis factus fuerat Regni Procurator, & Georgio fratre, qui iuſſu Senatus bene inſtructa naui ad reducendam ſororem enauigauerat;qui & ipſi,ſi inſiſtere veſtigiis Cæſaris voluiſſent illud in ore ſæpe habentis, Si violandum eſt ius, imperii cauſſa violandum eſt, aliis rebus pietatem colas,affectare tantum Regnum potuiſſent:ſed omni regnandi cu-

ra

ra abiecta,patriæq. ſolum commodo,ac ſplendore ſibi ante oculos poſito,loco vel Regni occupandi,vel in Catharina ſtabiliendi, nihil antiquius habuerunt,quàm vt patriæ tantam inſulam,tantum imperium,tantas opes conficerent,Reginæq. agnatæ ſuæ perſuaderent,vt Cyprum Reip.donaret omnium rerum copiis, atq. opibus circumfluentem. Itaq; ſereniſſima patria tua Cyprum inſulam nauali gloria,& maris imperio celeberrimam centum annos, quos eam tenuit, familiæ Corneliæ,& in primis Georgio Cornelio acceptam retulit,viro nobiliſſimo,ditiſſimo,prudentiſſimo, eloquentiſſimo, in patriam beneficentiſſimo, cuius nimirum opera Cypri Regnum Veneto imperio dicitur acceſſiſſe. Prætermitto innumerabiles alios maiores tuos omni virtute præfulgentes, omni præſtantia illucentes, omnibus maioribus Reip. muneribus illuſtriſſime perfunctos: atq. inter ceteros reticeo multos, qui in altiſſimo gradu Marciæ dignitatis claruerunt, vt Aloyſium, Theſeum, Marcum eum,quē modo dicebam Principem fuiſſe, Andream:ac omitto etiam Georgium,patrem tuum, Senatorem ampliſſimum,& Nicolaum fratrem,virū clariſſimum,qm̄ propoſitum habeo perſonas tantum Eccleſiaſticas commemorare ex præſtantisſima familia tua ad maxima ſacerdotia meritiſſimo adhibitas, & ſumma præſtantia ſua de Romana Eccleſia optime meritas; vt notiſſimum ſit nihil dignius euenire, quàm vt dignitates Eccleſiæ in præſtantiſſimos Cornelios conferantur. Quinam .n. vnquam præſtantiores fuerunt quinq. illis S.R.E. Cardinalibus ex generoſiſſima Cornelia familia ſelectis? Quorum quidem primus fuit Marcus (nomen felicisſimi auſpicii Epiſcopatui Patauino) Georgio Reginæ Catharinæ fratre natus, paucis annis poſt traditum Reip.Regnum propter lumen animi,atq. ingenii ſui, cum eſſet Pataui Epiſcopus,ab Alexandro VI. Summo Pontifice ad Cardinalatum cum Dominico Grimano, viro ſapientiſſimo aſſumptus. Alter vero Franciſcus propter illuſtriſſimas, atq. excellentiſſimas virtutes ſuas,cum eſſet D.Marci Procurator

à Leone X. Pontifice Max. in Cardinalium ordinem cooptatus. Tertius Andreas, patruus tuus, qui, cum in Epiſcopatu Brixiæ adminiſtrando ſe talem oſtendiſſet, qualem diuinæ litteræ requirunt, omni integritate, ac probitate ornatum, omnibus partibus, ac numeris abſolutum, atq. ita perfectum, vt nihil in eo reperiretur, quod iure reprehendi poſſet; facilem habuit aſcenſum per Paullum III. Pontificem optimum, & ſapientiſſimum, ad eum dignitatis gradū, quò viris tantum ſanctimonia, & ſapientia excellentibus patere aditus ſolet; factuſq. eſt Cardinalis, tamquàm vir optimus, & ſapientiſſimus, cum Gaſpare Contareno, & Petro Bembo, viris itidem optimis, & ſapientiſſimis, atq. in præclaris litterarum ſtudiis, omniq. excellentium diſciplinarum genere præſtantiſſimis. Quartus Aloyſius, qui doctrinis, & litteris excultus, omnibuſq. virtutibus perornatus, ſtatim vt ad vrbem ſe contulit, ob eam potiſſimum cauſſam à Iulio III. Pontifice Max. Cardinalis pronunciatus eſt, vt ei ſocius eſſet ad Chriſtianam Remp. quaſi in naufragio fluctuantem, & aduerſiſſimis ventis iactatam prudentiſſimis, & illuſtriſſimis conſiliis adiuuandam, fuitq. S.R.E. Quæſtor illuſtriſſimus. Quinctus Fridericus, Aloyſii frater, qui, cum eam integritatis, & virtutis perfectionem, quam in ſacris litteris à quolibet Epiſcopo exigi modo dicebā, in adminiſtratione triū Epiſcopatuum, Tragurini, Bergomatis, Patauini præ ſe tuliſſet, ita vt eum tamq̄ cælo delapſum omnes intuerentur, ſuſpicerent, admirarentur, & admirabili perſpicacitate præditum, ac prope incredibili ingenii acumine excellentem, natumq; ad intelligendum, & ad agendum, nemo nòn celebraret, & laudibus in cælum efferret; à Siſto V. Pōtefice Max. in ſupremum ordinem Eccleſiaſticum adſcriptus eſt, vbi eos, quos modo nominabam, illuſtriſsimos propinquos ſuos, Marcum, Franciſcum, Andream, Aloyſium, non ſolùm generis ſplendore, & fortunarum amplitudine, ſed etiam lumine animi, atque excellentia ingenii repræſentauit. In qua Cardinalatus dignitate ſi ego inſtituerem recēſere, quot, & quanta quinque illi cæleſtes, ac diuini homines

nes in Remp. Chriſtianam contulerint beneficia, & pandere orationis meæ vela per res illorum præclarisſime geſtas, ac veluti aperto inuectus mari per ipſorum laudes decurrere; neque vnquam exitum reperirem, neque facile in portum peruenirem. Quare mihi ſatis ſit hoc breui temporis ſpatio, quod meæ orationi conceditur, virorum illuſtrisſimorum, & per totum Chriſtianum orbem propter grauisſima, atque immortalia in Romanam Eccleſiam merita celebratisſimorum nomina ſola recenſuiſſe, virtutumq; opera eximia magis in memoriam reuocaſſe, quàm exornaſſe; cum præſertim nullum tantum ſit ingenium, nulla tanta eloquẽtia, quæ non dicam amplificare oratione, ſed tantummodo enumerare omnia, quæ tales, tantiq; viri effecerũt, vllo modo poſſe videatur. Ad hæc uero lumina ſplendidisſima viri alii præſtantisſimi acceſſerunt in ea, quam modo celebrabam, Epiſcopali perfectione mirabiliter illucẽtes, Georgius Aloyſii, & Friderici Cardinalium frater: Franciſcusq;, & Aloyſius, orti ex M. Antonio, Aloyſii, Friderici, & Georgii fratre; quorum primus tanta prudentia, & ſapientia, tantaq. benignitate, atq. humanitate Tauriſi Epiſcopatum adminiſtrauit, vt omnibus eſſet amabilis, atque admirabilis: alter ſe digne Georgio ſucceſsiſſe, & à maiorum ſplendore nequaquam degenerare maximis, ac præclarisſimis virtutibus ſuis declarauit, quotidieq. magis declarat, non ſolum Victori Abbas, & Tauriſi Epiſcopus, ſed etiam Romanæ Camaræ Clericus, ſupremoq; ordini Eccleſiaſtico proximus: tertius, cũ Tragurii Abbas fuiſſet, Friderici patrui Cardinalis factus primum Coadiutor in Epiſcopatu Patauino, deinde ſucceſſor quàm dignisſimus, tam incorrupte, atque integre, tã prudenter, & ſapienter, tam benigne, humaniter, amabiliter ſe gesſit, vt vita innocentisſime, integerrime, piisſime, illuſtrisſime acta incredibile ſui deſiderium in animis omnium reliquerit; cuius in Deum pietatem declarat templum reuerendorum patrum Theatinorum ipſius ære magna ex parte cõfectum, & monaſterium magnificentisſime inchoatum, atq. affectum, piisſimaq; legata ipſis reuerendis patribus Theati-

nis,

nis, & reuerendis Patribus Ieſuitis, ac ſacrarum Virginum monaſteriis, aliiſq. cõuentibus, & locis piis facta, maximaq. vis auri, & argenti, tapetium, conchyliatæ veſtis, periſtromatum, omniſq. pretioſiſſimæ ſupellectilis ob pias cauſſas erogata. Conſtat igitur optime meritos de Rep. Chriſtiana fuiſſe Cornelios illuſtriſſimos; vt ſapientiſſime feciſſe ſummi Pontifices videantur, qui in tam pios, & tam præſtantes Corneliæ familiæ viros contulerint ſacerdotia: & ſapientiſſime fecerit Clemens VIII. Pontifex poſt hominum memoriam perſpicaciſſimus, & in diiudicandis ingeniis præcellentiſſimus; qui, vt intellexit Epiſcopum Patauii ex hac vita exceſſiſſe, ſtatim multis poſthabitis, quamuis grauiſſimis viris, te vltro deſignauit, tibiq. præferendum eſſe neminem iudicauit, ac de tam præſtanti voluntate ſua læto nuncio prius te certiorem fecit, quàm de adipiſcendo Epiſcopatu potueris cogitare. Egregie. Nam, præter quàm quòd generis ſplendore, & clariſſimarum imaginum antiquitate illuce bás, Georgio, ampliſſimo Senatore, Andreæ Cardinalis fratre; quam nobilitatem plurimum valere debere in ſacerdotiorum diſtributione vel ipſe docuit ſummus philoſophorum Ariſtoteles, cum tradidit, neque agricolam, neq; eũ, qui in ſordidis artibus verſetur, ſed nobilem inſtituendum eſſe ſacerdotem, quandoquidem Deo ciues tribuere honorem debent: maxima iam dederas documenta præſtantiæ ſingularis; non ſolum cum poſt factum maximum curſum, ac prope incredibilem progreſſionem in præclariſſimo legum ſtudio ad excellentiam, monſtrante viam, tamquàm Duce, ſummo Iuriſconſultorum Iacobo Menochio, Doctor iuris Cæſarei, & Pontificii ſumma omnium conſenſione declaratus es, atq. in ipſum Collegium honeſtiſſime cooptatus: verum etiam cum Veronenſi nobiliſſima Abbatia S. Zenonis potitus es, ante à Iacobo fratre tuo poſſeſſa, poſtea Alexandro Farneſio Cardinali conceſſa, deinde in te à Siſto V. benigniſſime collata, poſtremo in eodem te à Clemente VIII. meritiſſimo confirmata. in qua quidem adminiſtrãda admirabili tua cum laude, ac prope incredibili nominis tui

C præ-

prædicatione in omnes benignus,& grauis,immo vero cum quadam regendi ſuauitate,ſuauiq. elegantia mirabiliter gran dis, ita te gerere cœperas,perpetuoq. geſſeras, vt Veronen ſes omnes te colerent, ſuſpicerent, admirarentur, & Veronæ eſſet nemo, qui amplitudinem tuam non deprædicaret, virtutes non collaudaret, actiones non commendaret, nomen non celebraret. Qua famæ celebritate nobiliſsimis insignium diſciplinarum ſtudiis excultus, omniumq. quaſi virtutum præſidiis ſeptus,cum in Pontificatu Innocentii IX. ad vrbem te contuliſſes,vix eius limen adiiſti,cum ipſi Pōt. Max. maxime charus , maximeq. iucundus fuiſti , ita vt ab eo,ſi diutius vixiſſet, maxima omnia maxime ſperare poſſe videreris; & poſt mortem Innocentii principes viri, & ſummiCardinales in ſuam te conſuetudinem cupidiſſime adſciuerunt; nihilq. gratius , nihil acceptius , nihil iucundius ſe habere ſummus ipſe Pontifex, Clemens VIII. ſignificauit, quàm vt te familiariſſime vterentur illuſtrisſimi propinqui ſui,Petrus Aldobrandinus Romanus,& Cynthius Aldobrā dinus Senogallienſis,tum antequàm Cardinales eſſent,alter arci S. Angeli præfectus, alter referendis negotiis vtriuſq. obſignationis præpoſitus,tum poſt aſcenſum ad Cardinalatum,viri ad virtutis decus, ad ſapientiæ dignitatem,ad omnem laudem, & gloriam nati, ſuſcepti, & inſtituti. Tale n. eſt ingenium tuum,talis morum ſuauitas,talis probitas, talis doctrina, vno verbo talis virtus,vt bene cum ijs agi exiſtimetur,qui tecum viuere, tecum aſſidue colloqui, tecum aſſidue verſari,tuiſq. moribus aſſidue perfrui queunt. Nemini igitur mirum debet videri,ſi ipſe apud omnes gratioſus, & ab omnibus cognitus ſumma præſtantia præditus non ſolum factus es Tutelaris piiſſimæ ſocietatis Nominis Dei, ac receptus in clariſſimas Congregationes, ad quas non niſi præſtantiſſimi viri adhiberi ſoliti ſunt; vt in illam Di.Catharinæ, cuius cura eſt virgines ex periculo turpiter amittendæ virginitatis ereptas tueri,ac matrimonio collocare;& in illam Di.Marcelli,Cardinalibus,Epiſcopis,alijſq. grauiſſimis viris refertam , quæ ſolet & ipſa miſerandas virgines

fouere,

ſouere, ſuaq. liberalitate ad ſanctum matrimonium perducere;& in illam Librorum prohibitorum Indici præpoſitam, quam tanti eſſe momenti omnes norunt,quantum refert hæreticam prauitatem cohibere: verum etiam,poſt extinctum Patauii Epiſcopum gentilem tuum, quàm apertiſſime,quàm celerrime, omnibus mire conſentientibus, vniuerſa Romana curia applaudente, toto Chriſtiano orbe comprobante, nullis tuis precibus, nullis pro te ambientibus,nouo exemplo,Epiſcopali dignitate dignus viſus es. De cuius moribus illud ſanctiſſimus Pater teſtimonium tulit, quo nullum aut ad laudem illuſtrius,aut ad famam honeſtius conſequi poteras; nimirum,cum de tota vita tua exquireret, non ſolum inueniſſe ſe neminem,qui tibi detraheret,ſed etiam, qui te ſummopere non commendaret. Quo ſcilicet factum eſt, vt, cum ad gratias ei peragendas acceſſiſſes, hæc præclariſſimi verba, tibiq. glorioſiſſima protulerit; NON EGO SANGVINI TVO HANC ECCLESIAM, NEC AFFECTVI MEO, SED MERITIS TVIS DEDI. O vocem honeſtiſſimam, atq. honorificentiſſimam, non minus dati,quàm accepti beneficii commendatricem, non minus ad dantis, quàm ad accipientis decus pertinentem. Vt veriſſimum apparuerit illud, quod clarisſimus ſcripſit Comicus poeta; Virtute ambire oportet, non fauitoribus: Sat habet fauitorum ſemper, qui recte facit. Quamobrem gratulamur tertio tibi, Marce Corneli, Antiſtes excellentiſſime, non tam, quòd Patauii Epiſcopus declaratus, quàm quòd Epiſcopatu digniſſimus iudicatus fueris; quippe in quo ea omnia elucēt,quæ in optimo Epiſcopo ineſſe oportere doctiſſimi, iidemq. ſanctiſſimi viri cenſuerunt. Etenim, cum alia multa in eo requiruntur ſane præſtantisſima, atq. optima; tum nihil præſtantius, ac melius, quàm excellens ſapientia,& probitas ſingularis. Quantum.n. valeat ſapientia ĩ perſona Eccleſiaſtica,præſertim ea,quæ populis ſit præfutura, declararunt Auguſtinus,Hieronymus,Baſilius,Gregorius,alii quàmplurimi viri Eccleſiaſtici,qui in omni litterarum genere verſari non dubitarunt: immo vero ēt multis

ante hos ſeculis Moſes, quo nemo fuit eruditior: & Salomon, quo nemo ſapientior: & multis poſt ætatibus Alexander III. quo nemo doctior, & Innocentius III. quo nemo cum ſapientia eloquentior: & Vrbanus II. qui plurimum quoque doctrina, dicendiq. facultate valuit: & alii multi, qui in Chriſtiana Rep. admiranda dederunt ſapientiæ documenta: atq. inter ceteros inſigniter Hippolytus Aldobrandinus Florentinus, qui propter præſtantem ſapientiam ſuam in maximis Eccleſiæ Romanæ negotiis, & legationibus prorſus cognitam, planeq. perſpectam, primum à Siſto V. Pont. Max. ad Cardinalatum euectus eſt; deinde ab excelſo Cardinalium Collegio in ſede Pontificia collocatus; cumq. ſapientiam in Prælatis exiſtimet neceſſariam, vt vere eſt, ad principes Eccleſiæ dignitates admittit neminem, niſi cuius excuſſa prius fuerit apud ſe per ſapientiſſimos viros, & declarata doctrina; ita vt ſæpe, quos compererit nondum ad eam excellentiam peruenisſe, quæ in viro religioſo aliis præfuturo poſtulatur, ad repetenda litterarum ſtudia dimiſerit, ſoloſq. eos, qui cum probitate doctrinam coniunxerint, complectatur. Quo ſane difficili tempore excutiendi idonea ingenia, perſcrutandi cuiuſq. ſtudia, exquirendi, quantum quiſq. valeat, ita vt non fuco, & fallaciis, non ambitioni, & precibus pateat locus, ſed ſoli ſapientiæ cum integritate coniunctæ ad maiora ſacerdotia aditus detur, cum tu ſapientiſſimi Pontificis, & ſapientiſſimorum virorum, qui doctrinæ tuæ periculum fecerunt, & accuratiſſime, atq. exquiſitiſſime, quantum in optimarum artium ſtudiis profeceris, experti ſunt, admirabili conſenſu Epiſcopus Patauii delectus ſis, & honorificentiſſime declaratus; quis non fateatur, amplitudini tuæ, cui talis, tantuſq. honor à talibus, tantiſq. viris habitus eſt, nos merito gratulari? Neque vero mirandum eſt te ſapientiſſimum compertum eſſe, cum præter alia animi tui ornamenta ea ſapientia præditus ſis, cuius excellentiam ipſe quoq. ſummus Pontifex habet; quã tametſi Iuriſprudentes nominant Iuriſprudentiam: tamen poetæ veteres, Ennius, & Horatius, nomine ſapientiæ adorarunt,

ærunt, M.q; Tullius bibliothecis omnium philoſophorũ & auctoritatis pondere, & vtilitatis vbertate præſtare affirmauit, meritoq. Vlpianus Philoſophiam non ſimulatam nũcupauit; quæ mea quidem ſententia non ſolum vera ſapientia eſt, verum etiam vniuerſa ſapientia, & vniuerſe apta ad cognoſcenda omnia, quæcunq. pertinere ad humanam perfectionem videantur, rerum humanarum, & diuinarum notitia, iuſti, atq. iniuſti ſcientia: vt huius auxilio facile potueris difficillimas quæſtiones tibi propoſitas, etiam ex penetralibus ſacræ Theologiæ, & iuris Pontificii ad periclitãdas vires ingenii, & induſtriæ tuæ depromptas, enodare, atq. explicare. Et vero, cum quattuor legum gradus conſtituant viri docti, vnum in prouidentia diuina: alterum in fato, ſeu fatali, & immutabili continuatione ordinis ſempiterni: tertium in natura: quartum in homine; quemadmodum in primo gradu verſantur Theologi, & Metaphyſici, nimirum illi per diuinum afflatum, hi per humanam inueſtigationem: in ſecundo, & tertio Phyſici: in quarto cum reſolutione quidem vſq. ad primum principium, & ad cauſſam cauſſarũ Philoſophi abſolute, cum reſolutione vero in principia proxima Philoſophi ciuiles; ita non eſt dubitandum, quin in omnibus legum gradibus excellant Iuriſperiti; maxime vero, ſi ſint veri Iuriſperiti, non leguleii quidam indigni nomine Iuriſperitorum. Tractant enim tũ leges primi gradus, quæ ad diuinam prouidentiam referuntur: tum leges ſecundi, quæ ad fatum; in iure Pontificio: & leges tertii poſitas in natura, dum ius explicant naturalé: & leges quarti, reſoluendo eas primum vſque ad Deum, auctorem omnium bonarum legum, deinde in ſua principia proxima, in virtutes, in virtutum principem iuſtitiam, in præcepta iuſtitiæ, honeſte viuere, alterum non lædere, ius ſuum vnicuiq. tribuere, in bonum humanum, in bonum ciuile, in priuatam, & publicam felicitatem; vnde rectam colligunt legum ferendarum rationem; etiamſi propter communem hominum vtilitatem ſe recipiant potiſſimum ad conſultationes obeundas, & iudicia dirigenda. Quamobrem fremant omnes licet, in noſtrum-

ſtrum ſtudium peſſime animati. Iuriſprudentes profectò tamquàm Theologi,& Metaphyſici,tamquàm Phyſici, tam quàm non ſimulati Philoſophi,& in primis Philoſophi Ciuiles,eam Philoſophiæ Ciuilis partem pertractantes, quam ſummus Philoſophus Ariſtoteles architectonicam, & principem appellauit,omnes legum gradus percurrunt; ut,ſi laudandi ſunt illi,qui in uno legum genere videntur excellere,multo laudabiliores debeant videri Iuriſprudentes, qui omne genus legum ſapientisſime, & vtilisſime complectuntur. In quo præclarisſimo,& præcellentisſimo ſtudio, præter alia tua ſtudia,bonarum litterarum,Rhetoricæ, Dialecticæ,Mathematicarum diſciplinarum,Theologiæ,omnium ingenuarum artium,quoniam mirabiliter excellebas : idcirco ea,quæ in conſpectu ſummi Pontificis, & corona grauisſimorum Doctorum à ſapientisſimis illis patribus, illuſtrisſimo Cardinali,Franciſco Toleto, & admodum reuerendo Patre,Petro Alagona Ieſuita,de mentibus cæleſtibus,de ſacramentis,de fide,de æquitate conſcientiæ, tibi propoſita ſunt,perquàm implicita,& inuoluta, non difficulter explicaſti,& euoluiſti,facilemq; tibi aditum ad hunc Epiſcopatum reddidiſti;cum præſertim ſemper curaueris, non ſolum, vt ſapiens eſſes,& habereris,ſed etiam,vt cum ſapientia probitatem,pietatem,religionem,ſanctimoniam coniungeres;ſentiens cum poeta illo,qui canebat,Odi homines ignaua opera,Philoſophica ſententia;& cum Mario Saluſtiano, affirmãte,Parum ſibi eas litteras placere,quæ ad virtutem nihil doctoribus profuiſſent. Tibi igitur, Marce Corneli,Epiſcope omnibus modis illuſtrisſime, non tam ſerenisſima patria tua de Chriſtiana Rep. optime merita, & illuſtrisſima familia Cornelia Romanæ Eccleſiæ in primis addicta,quàm ſumma ſapientia,& ſumma vitæ integritas,ſummi Pontificis,& ſummorum patrum purperatorum animos ſummopere cõciliauit;cumq; ad Patauii Epiſcopatum euehendus eſſet aliquis,qui eum rectisſime adminiſtraret,& tantam Eccleſiæ molem firmisſime ſuſtineret, ſumma illorum conſenſionè inter multos, magnoſq. viros tu vnus delectus es,qui tam

pre-

pretioſa mitra ornareris. Quapropter te præſtantiſſimum, & optimum Epiſcopum, quo præſtantiorem, & meliorem, atque ad hanc diœceſim gubernandam accommodatiorem nec reperire, nec optare, nec cogitando informare potera-mus, pro magnifica Philoſophiæ, ac Medicinæ Vniuerſitate, & pro Doctoribus, ac ſtudioſis omnibus optimarum artium in florentiſſimo Gymnaſio Patauino, cuius inſtitutus es, ut appellant, Cancellarius illuſtriſſimus; ſalutamus, veneramur, colimus: omneſq; homines ad hunc Epiſcopatum pertinentes Clementi VIII. Pontifici opt. & max. ac ſacro ſancto purpuratorum patrum Collegio plurimum debere confitemur, & prædicamus, quòd Epiſcopum non ſolum Patricium Venetum, & in familia Cornelia ortum, verum etiam ſapientiſſimum, & integerrimum diœceſi dederit Patauinæ: atque in communi omnium gaudio exultamus, & triumphamus, quòd te præpotens Deus tamquàm in alta quadam ſpecula collocarit, qui Eccleſiæ Patauinæ commodum procures, atq; conſerues, dignitatemq. tuearis, atque augeas: qui omnes tuæ fidei commiſſos, & creditos tua foueas auctoritate, tua complectaris charitate, tua felices reddas felicitate: qui Epiſcopalem dignitatem tibi traditam ita exerceas, ut, quicunq; in hac diœceſi huius uitæ nauigant proceloſum mare, omnes in tranquillum portum perducere ſtudeas, omniumq; pacem, concordiam, tranquillitatem conſtituas, atque cuſtodias. Salue igitur, Epiſcope optime, qui non amplius es Pataui alumnus, ſed nutricius: non amplius diſcipulus, ſed magiſter: non amplius inſignia Doctoris accepturus; ſed inſignia Doctoris collaturus: non amplius huius Eccleſiaſtici gregis ouis, ſed paſtor; quem omnes merito ſuſpiciunt, venerantur, colunt: omnes merito laudant, extollunt, in cælum ferunt: immo vero omnes merito tamquàm diuinum celebrãt, tamquàm cæleſtem canunt, tamquàm beatum deprædicant; vtinãq. Deus Opt. Max. faxit, vt aliquando poſſint beatiſſimum prædicare. Salue, Pater clementiſſime; & tuo tam excellenti bono gaude; magnificamq. Philoſophiæ, ac Medicinæ Vniuerſitatem, & optima

rum

rum artium Doctores, ac ſtudioſos omnes,qui amplitudini tuæ illam obedientiam pollicentur, ac deferunt, quæ legitimo debetur Epiſcopo, ſeq. benignitati, & manſuetudini tuæ commendant, complectere, foue, tuaq; tutela, & præſidio dignare. Quod vt facias,tibi omnes ſupplicamus; Deumq; Opt. Max. precamur, vt te diu nobis incolumem, florentemq. conſeruet,& ad altiores dignitatis gradus,quò tua te vocat præſtantia ſingularis,benigniſſimus reſeruet.

*F I N I S.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Superiorum Permiſſu.

